

Respondet secundo Arrabal, durationem distingui ab existentia rei durantis, & ideo non oportere quod multiplicata existentia in personis divinis, in illis duratio & aternitas multiplicentur, vel quod duratio divinarum personarum relativa sit, quamvis illarum existentia sit relativa.

Sed contra primo: in frequentiori Adversariorum sententia, duratio ab existentia rei durantis indistincta est.

Contra secundo: Duratio est continuatio rei in esse: Ergo si duratio divinarum personarum, non relativa, sed absoluta sit, illarum esse, non relativum, sed absolutum erit.

Contra tertio: Duratio rei convenit illi ratione existentia (esto distinguatur ab illa;) Ergo vel existentia non multiplicatur in personis divinis, vel etiam duratio multiplicari debet. Probatur Consequencia: sicut enim quia immutabilitas sequitur ad rationem actus puri, & ad immutabilitatem aternitas; eo ipso quod ratio actus puri distingueretur in relationibus, tenetur Adversarii debere in illis immutabilitates & aternitates distingui. Ita similiter, si duratio sequitur existentiam, multiplicatis realiter existentis, debent etiam durationes, & consequenter aternitates multiplicari.

170 Tertio, alii respondent, quod licet in divinis personis non dentur tres aternitates absolute, quia aternitas absoluta ad solam naturam divinarum consequitur, bene tamen tres aternitates relative. Ad probationem vero in contrarium dicunt, quod Athanasius negat solam in divinis tres aternitates absolute & simpliciter, non tamen cum addito, scilicet in genere relativo.

Verum haec responsio temeritate non caret: ex illa enim sequitur, falsa fide, & absque injuria contextus Athanasii, posse concedi tres personarum divinarum esse tres Deos, aut tres omnipotentes relative: Consequens est absurdum & haereticum: Ergo &c. Sequela probatur: Athanasius eisdem verbis negat tres Deos, & tres omnipotentes, quibus etiam negat tres aternos: Ergo si licet interpretari Athanasium de tribus aternis, non relative, sed absolute, cui libet etiam licet eodem modo illum exponere, ac dicere, illum solum negare, tres divinas personas posse dici tres Deos, aut tres omnipotentes, absolute & simpliciter, non tamen cum addito, & relative.

Præterea, cum juxta illos Auctores eodem modo multiplicetur existentia in relationibus divinis, quo res, aut entitas: sicut personarum divinarum absolute & sine addito dicuntur tres res, aut tres entitates: ita eodem cum addito, sed etiam absolute, poterunt dici tres existentes, & consequenter tres aterni: quia cum aternitas, vel ab existentia non distinguatur, vel sit modus illius, eodem modo multiplicatur, quo existentia, ut supra dicebamus.

S. III.

Solvuntur objectiones.

171 Obijciunt primo Adversarii quendam SS. Patrum testimonia, quae videntur favere illorum sententia. In primis enim Augustinus lib. 5. de Trinitate, cap. 6. dicit: Aliud est esse Deum, & aliud esse Patrem: Ergo præter existentiam absolutam qua Deus existit, aliud est relativum in Patre videntur admittere. Item Cyrillus Alexandrinus dialogo de Trinitate lib. 1. loquens de Patre & Filio, sic ait: Uterque subsistit, propriamque habere dicitur existentiam. Similiter Richardus a S. Victore lib. 4. de Trinitate, cap. 17. ponit in Deo tres existentias incommunicabiles, ac proinde relativas. Denique D. Thom. qu. 9. de potentia art. 5. ad 23. hæc scribit: Ad perfectionem divinitatis pertinet, ut sint plures modi existendi in Divinis.

172 Ad Augustinum respondeo ex doctrina D. Thomæ, locis supra relatis, esse sumi dupliciter: primo pro ratione per definitionem explicata; secundo pro esse existentia. Quando ergo Augustinus affirmat, quod aliud est esse Deum, aliud esse Patrem, loquitur de esse in priori acceptione, non autem in posteriori. Cyrillus autem & Richardus sumunt ibi existentiam, pro subsistentia personali, & non pro actu essendi, ut constat ex ipso textu utriusque; & idem dici potest de D. Thomæ. Vel etiam responderi potest, illum solum velle, quod existentia essentialis & absoluta diverso modo convenit divinis personis, non vero quod in illis sint plures existentia relativa. Sicut enim divina essentia, licet unica & indivisibilis, alio modo est in Patre, & alio modo in Filio, & Spiritu Sancto: in Patre siquidem est a se habita; in Filio vero, ut communicata a Patre per generationem; & in Spiritu Sancto, ut ab utroque per spirationem communicata: ita & ejus existentia: unde potest dici, quod dantur in Divinis tres modi existendi ejusdem esse, & in eodem esse, non tamen tres existentia relative.

173 Obijciunt secundo: Existentia relationis divina debet esse relativa: Ergo & ratione distincta ab existentia essentia, multiplicata realiter, Consequencia patet, Antecedens probatur primo, quia existentia debet proportionari, & eodem genere convenire cum entitate, cujus est existentia; quare entitas substantialis nequit existentia ac-

cidentaliter extra causas constari, neque entitas accidentaliter existentia substantiali: Ergo existentia relationis divina debet esse relativa.

Secundo probatur idem Antecedens, ex ipsa definitione relativorum: relativa enim illa sunt, quorum totum esse est ad aliud se habere.

174 Tertio probatur. Si existentia divinarum relationum non esset relativa, sed absoluta, sequeretur quod Pater æternus esset ad se, & non ad alium: quod est contra rationem relativorum.

175 Respondeo negando Antecedens, ad cujus primam probationem, distinguo Antecedens: debet proportionari, quoad rationem communem substantia & accidentis, concedo Antecedens. Quoad alias peculiares rationes, nego Antecedens, & Consequentiam. Ratio discriminis est, quia essentia & existentia debent se mutuo respicere, & unum per se constituere; unde cum substantia sit absoluta ab omni respectu ad extrinsecum, nec possit cum accidenti unum per se constituere; consequens est, quod convenientia in ratione substantia desideretur inter existentiam & essentiam, secus vero convenientia in aliis peculiaribus rationibus, quibus mutua respicientia sine tali convenientia competere potest.

Vel secundo responderi potest ad eandem primam probationem Antecedens negati, distinguendo Antecedens. Existentia, & primum illius susceptivum, debent proportionari, & predicta convenientia gaudere, concedo Antecedens: Existentia & secundum susceptivum, nego Antecedens, & Consequentiam: non enim ratio divina, sed essentia, est quasi primum susceptivum divine existentia.

Potest hæc responsio duplici exemplo illustrari. Primum est de essentia divina ut habet rationem speciei intelligibilis; ut sic enim habet omnimodam convenientiam tantum cum intellectu divino, quem per se primo respicit; non autem cum intellectu humano, quem perficit secundario. Secundum desumitur ex naturalibus, nempe ex materia & anima rationali, qua existit in homine per unicum simplicem existentiam immaterialem; quia cum anima rationalis sit primum susceptivum existentia, materia vero secundarium tantum; existentia non debet proportionari omnino materie, sed anime rationali.

Ad secundam probationem Antecedentis principalis respondetur, esse quod ponitur in definitione relativorum, non sumi pro existentia; nam esse quod pro existentia sumitur in relatione, non est ad aliud se habere, sed inesse, ut docet D. Thom. q. 8. de potentia art. 2. ad 12. Sumitur ergo ibi esse, pro quidditate, seu ratione formali. Unde ad tertiam probationem distinguendum est Antecedens: Pater æternus esset ad se, quoad existentiam, concedo: quoad quidditatem seu rationem relativam, nego.

176 Obijciunt tertio: Qualibet realiter productio tendit ad existentiam rei productæ, quæ alias sine tali productione non esset: Sed personalis productio in Divinis, non tendit ad existentiam absolutam existentia: tum quia existentia essentia non producitur: tum etiam quia supponitur in persona productæ: Ergo necessario tendit ut in terminum proximum, in existentiam personalem relativam, ratione distinctam ab existentia essentia.

177 Respondeo distinguendo Majorem: tendit ad existentiam, ut producendam, vel communicandam entitati productæ, concedo Majorem: semper producendam, nego Majorem, & etiam Minorem, quam non conveniunt due probationes adductæ. Non quidem prima, quia licet productio debeat ad existentiam terminari, non tamen semper debet illam producere. Nec etiam secunda, quia quamvis existentia essentia supponatur in Patre, pro priori originis ad Filium, non tamen supponitur ut Filio communicata; & ideo generatio tendit ad illam; non ut producendam, nec Patri communicandam, sed ut communicandam Filio. Et certe principalis tendit productio ad terminum formalem, quam ad existentiam rei, quæ terminus formalis non est, sed conditio termini; & tamen divina essentia, quæ in sententia plurium ex Adversariis est formalis terminus productionis personalis, non producitur, sed communicatur: Ergo licet terminetur ad existentiam, non recte colligitur illam debere esse productam. Et ratio a priori est, quia rem producere est, illam existentem constituere; quod cum possit fieri, vel producendo existentiam, vel existentiam alias productam, seu improducendam communicando; ideo non est de ratione productionis existentiam producere.

178 Obijciunt quarto: Relationes create habent propriam existentiam distinctam ab existentia subjecti & fundamenti: Ergo & relationes divine, Antecedens recipitur communiter a Thomistis in Philosophia; est enim relativum completum in suo genere, realiter distinctum a fundamento, atque ita postulat sibi propriam actum essendi. Consequencia vero probatur ex paritate rationis.

179 Respondeo, concessa Antecedente, negando Consequentiam, & paritatem: nam ideo relatio creata habet propriam existentiam, distinctam ab existentia subjecti & fundamenti, quia est limitata, & ratione limitationis non potest

potest enim subiecto & fundamento identificari, sed debet necessario cum eo facere compositionem accidentalem: relatio vero divina caret limitatione, ac proinde identificari sibi quidquid est absolutum in Deo, & consequenter existentiam essentialem. Unde ex infinita perfectione divinarum relationum provenit quod non habeant propriam existentiam, sed existant per existentiam naturæ, & ex imperfectione relationum creaturarum, quod afferant proprias existentias.

180 Obijciunt quinto: Existentia est forma quæ aliquid constituitur extra nihil: Sed divine relationes & essentia differunt in hoc quod est poni extra nihil: Ergo differunt in ratione existentia. Major est certa, Minor probatur: Filiatio v.g. est extra nihil per productionem, & ab alio ut principio; essentia autem sine productione, & a se; cum filatio sit producta, essentia vero improducta: Ergo differunt in hoc quod est esse extra nihil.

181 Respondeo distinguendo Majorem: Est forma quæ aliquid constituitur extra nihil, complete & totaliter, concedo Majorem: incomplete & inchoative, nego Majorem. Similiter distinguo Minorem: Divina relationes & essentia, differunt in hoc quod est poni extra nihil: incomplete & inchoative, concedo Minorem: complete & totaliter, nego Minorem, & Consequentiam.

Explicatur: Ad rem extra nihil ponendam duo concurrunt, ut docet nostri Thomista in Metaphysica; entitas scilicet, veluti subiectum existentia, & existentia ipsa. Entitas ut est subiectum existentia, pro priori natura ad illam; & in eo signo in quo causæ suas exercent causalitates, est extra nihil incomplete, inchoative, vel (ut alii loquuntur) in esse vili: ratione vero existentia, est extra nihil complete & totaliter: quod in creatis contingit cum distinctione reali inter entitatem & existentiam; in Divinis vero cum distinctione virtuali secundum aliquos, aut emmentali secundum omnes. Dicimus ergo, in hoc quod est esse extra nihil inchoative (quod competit relationi ratione entitatis) diversitatem esse inter filiationem & essentiam divinam; secus autem in hoc quod est esse extra nihil complete (quod convenit illi ratione existentia) nisi ad summum quoad modum, quatenus essentia hoc habet a se, filio vero ut communicatum ab alio, ad quam diversitatem modalem non requiritur diversæ existentia, sed sufficienti eadem, primario essentia conveniens, & secundario filiationi communicata. Sicut ut essentia divina alio modo dicitur esse in Patre, & alio modo in Filio, non requiritur quod diversificetur, aut multiplicetur in illis, sed fufficit quod in Patre sit a se habita, in Filio vero ut communicata a Patre per generationem.

182 Obijciunt ultimo Adversarii, & est precipuum illorum fundamentum. Existentia nihil aliud est, quam entitas actualis: Sed relationes divine, ut virtualiter distinctæ ab essentia, sunt tres entitates actuales, realiter distinctæ inter se, & ratione ab entitate actuali essentia: Ergo sunt tres existentie realiter distinctæ inter se, & ratione ab existentia essentia.

183 Respondeo primo, negando Majorem. Ut enim docent nostri Thomista in Metaphysica, existentia non est res ipsa actualis, sed potius ipsa actualitas, qua siltitur extra causas, & ponitur extra illarum causalitates & dependencias: unde existentia dicitur quasi extra causas silentia.

184 Respondeo secundo, data Minori, distinguendo Minorem: Sunt tres entitates actuales, numero cadente super entitatem, concedo Minorem: cadente super ipsam actualitatem, nego Minorem, & Consequentiam. Itaque sicut tres personæ divine sunt & dicuntur tres sapientes adjective ab eadem sapientia, & tres omnipotentes ab eadem omnipotentia; ita sunt & dicuntur tres entitates actuales, ab eadem actualitate & existentia in illis inclusa: quia in nominibus adjectivis numerus non formatur, sed subiectum numerat, ut docent Dialectici in summulis.

185 Dices: Paternitas, prout ratione distincta ab essentia, non solum est actualitas, sed est etiam actualis ab actualitate essentia ratione distincta: Ergo gaudet existentia relativa ratione distincta ab existentia absoluta essentia. Consequencia videtur bona: quia existentia in actualitate consistit. Antecedens vero probatur primo: quia paternitas, ut ratione distincta ab essentia, non est potentialis; potentialitas enim dicit imperfectionem Deo repugnantem: Ergo prout sic distincta, est actualis, immo & actualitas. Probatur secundo: paternitas, ut ratione ab essentia distincta, acta refert Patrem æternum ad Filium, illumque a Filio actu distinguit: Ergo ut sic est actualitas quedam, ratione distincta ab actualitate essentia.

Respondeo primo, distinguendo Antecedens: Est actualitas entitativa, ratione distincta ab actualitate essentia, transeat Antecedens: est actualitas existentia, nego Antecedens, & Consequentiam: ad cujus probationem eadem distinctione utendum est, & concessio utroque Antecedente, eodem modo distingui debet utrumque Consequens. Solutio patet ex his quæ docent nostri Thomista in Physica, admittentes in partibus compositi plures actualitates entitativas, negantes vero plures existentias.

Respondeo secundo, negando Antecedens. Ad cujus primam probationem, concessio Antecedente, nego Consequentiam. Nam ut paternitas, prout virtualiter distincta ab essentia, non sit potentialis, non requiritur quod prout sic distincta, sit actualis explicite, sed fat est ut implicite actualitatem essentia: sicut ut sit increata, sufficit quod ratio entis increati in illa implicite includatur, nec existat quod illa in personis divinis multiplicetur; alius (ut supra dicebamus) darentur in Divinis plures increata substantia. Similiter ad secundam probationem, concessio Antecedente, neganda est Consequencia: quia ut paternitas acta referat Patrem æternum ad Filium, illumque a Filio actu distinguit, non est necesse quod ratione explicite ei actualitas conveniat, sed sufficit quod ei competat ratione essentia, quam implicite includit.

DISPUTATIO IV.

De Personis Divinis.

Ad questionem 29. D. Thomæ.

Consideratione divinarum processionum & relationum, juxta præscriptum ordinem initio tractatus, ad considerationem divinarum personarum in communi descendimus, & duo breviter hic examinanda suscipimus. Primum est, an ratio personæ vere & proprie reperitur in Divinis? Alterum: quodnam sit formale significatum hujus nominis, persona divina? Per quid vero divinx personæ constituentur, dicemus infra disp. 11. artic. 2. quando de personis in comparatione ad relationes five proprietates differemus.

ARTICULUS I.

Utrum ratio personæ vere & proprie reperitur in Divinis?

S. I.

Explicata definitione personæ, sententia affirmativa sanitur.

Atnequam quaesito respondeamus, definitio personæ in communi, a Boetio tradita, & a D. Thomæ hic art. 1. approbata, breviter explicanda est.

Sic ergo definitur persona a Boetio: Persona est rationalis natura individua substantia. In qua definitione, primo substantia ponitur loco generis, & supponit pro substantia completa. Quare per hanc particulam, non solum accidentia, sed etiam substantia incomplete, ut partes, tum integrales, tum essentialia excluduntur a ratione personæ; & ideo anima rationalis, quamvis propria gaudeat subsistentia, & separata a corpore existat, in statu tamen separationis non potest dici persona. Secundo additur ly individua, ut per hoc excludantur nature universales, & secunda substantia, scilicet genera & species, quæ proprie personæ non sunt. Unde D. Thomæ hic art. 1. ad 2. ait, per hoc quod additur individua, trahi substantiam ad standum pro substantia prima, quæ a Græcis hypostasit dicitur, & quæ supra singularitatem addit incommunicabilitatem. Propter quod Richardus a S. Victore, ad majorem hujus definitionis explicationem, addit ad individuum substantiam, particulam incommunicabilitatis, quæ (ut notat D. Thomæ in 3. ad Annibal. dist. 5. quæst. unic. art. 2.) triplicem communicabilitatem a persona excludit, scilicet communicabilitatem universalem ad inferiora, partis ad totum, & nature ad suppositum, a quo sustentatur, vel terminatur. Quamobrem licet humanitas Christi sit substantia individua & completa, quia tamen communicatur alteri ut supposito sustentanti, scilicet Verbo Divino, non potest dici persona: nec similiter natura divina, quamvis secundum se gaudeat subsistentia absoluta (ut infra ostendemus) quia communis est tribus Suppositis, a quibus terminatur, & redditur incommunicabilis.

Denique predictæ definitioni additur, rationalis seu intellectualis nature, ut per hoc excludantur a ratione personæ supposita naturarum irrationalium. Unde D. Thomæ hic art. 2. docet suppositum, primam substantiam, personam, hypostasiam, ita inter se comparari, ut suppositum & prima substantia sint omnino idem; sicut & modo ex communi usu pro eodem sumuntur persona & hypostasis. Persona vero seu hypostasis non differt a supposito seu prima substantia, nisi ut inferius a suo superiori; quia persona non dicitur nisi de primis substantiis nature intellectualis; suppositum vero dicitur de omnibus primis substantiis cujuscumque nature. Hac definitione personæ præmissa & exposta, inquirimus utrum ratio personæ sic explicata, vere & proprie reperitur in Divinis.

Sententiam negativam olim tenuisse Laurentium Vallam Grammaticum, libro 6. elegantiarum cap. 34. referunt Re-



centiores. Fundamentum illius erat, quia existimabat nomen persona non significare substantiam, sed animi vel corporis qualitatem, perquam unus homo differt ab alio: ex quo fit quod una & eadem res, seu substantia, plures dicitur gerere personas; quia plures representat, aut vice eorum fungitur. Unde olim Sabellius, licet crederet in Deo unicum tantum dari suppositum, unumque subsistens, quia tamen plarium munere fungi dicebat; Patris per creationem; Filii per Incarnationem; & Spiritus Sancti per rationalis creaturae sanctificationem; plures in Deo admittere personas non timebat.

3 In Deo tamen vere & proprie rationem personae reperiri, tanquam de fide certum, tenendum est. Ita definitur in variis Conciliis, praesertim in Toletano XI. in confessione fidei, & Lateranensi c. *firmiter*; tenetque communis usus Ecclesiae, & universalis Patrum ac Theologorum consensus. Unde in Symbolo Athanasii dicitur: *Alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti*; Sed ubi alia & alia persona cum proprietate inveniuntur, reperitur etiam cum proprietate persona: Ergo ratio personae proprie reperitur in Deo.

Ratio etiam id suadet. Persona enim, ut ostendimus, est rationalis, seu intellectus naturae individua (id est incommunicabilis) substantia: Sed in Deo est intellectus naturae, & substantia incommunicabilis, ut infra patebit: Ergo in illo ratio personae invenitur.

4 Praeterea, ut discit d. Thomas hic art. 3. Quidquid perfectionis & dignitatis est, reperitur in Deo: Sed persona significat quod est perfectissimum in tota natura: Ergo proprie reperitur in Deo. Probatur Minor: nam persona ex parte naturae importat quod sit intellectualis, quae est ex genere suo omnium naturarum dignissima; modus etiam existendi quod dicit, dignissimus est, scilicet quod sit per se existens: Ergo persona significat id quod est perfectissimum in tota natura.

5 Ad fundamentum vero, seu potius observationem Grammaticalem Laurentii Valle, dicendum est cum d. Thom. in 1. dist. 26. quaest. 1. art. 2. ad 1. iudicium de nomine non debere esse secundum quod se imponitur; lapis enim dicitur a laedendo pedem, & tamen omne quod laedit pedem non est lapis. Quamvis ergo nomen persona sit impositum a representando, seu a personando; quia, ut notat Boetius in libro de duabus naturis, olim in comediis recitatores ad representandum aliquem, cuius gesta recitabant, larva quadam faciem versabant, & sic recitationem suam personabant: inde tamen tractum est nomen ad significandos ipsos homines substantialiter in se; & hoc modo frequentis est usus huius vocis in iure civili, cum agitur de actione seu iniuria personarum; immo & in Scriptura, ut patet ex illo Sap. 6. *non subvertat personam cuiusquam Deus*; & ex illo Actuum 10. *non est personarum acceptor Deus*; & ex Symbolo Athanasii, ubi habetur: *inque confitebantur personas, Graeco dicitur personarum*. Tandem apud Theologos idem nomen usurpatum est, ad significandam cuiuscunque intellectus naturae, five divinae five angelicae, five humanae, individua & incommunicabilem substantiam.

§. II.

*Solvuntur objectiones.*

6 Obijciens primo: Persona est rationalis naturae individua substantia: Sed Deus non est proprie substantia: Ergo nec persona proprie. Minor ostenditur primo ex August. lib. 7. de Trinit. cap. 5. ubi ait: *Manifestum est Deum indivisibilem substantiam vocari*: Sed quod abusive dicitur, non proprie, sed improprie dicitur: Ergo Deus non est proprie substantia.

Secundo probatur ratione quam idem S. Doctor ibidem insinuat. Substantia dicitur a substando accidentibus, sed Deus accidentibus subesse non potest, nec dici quod subisset bonitati, vel omnipotentiae, aut aliis perfectionibus quae dicuntur de ipso: Ergo non est proprie substantia.

7 Respondeo negando Majorem. Ad cuius primam probationem dicatur, substantiam considerari dupliciter: nempe quoad id a quo nomen impositum est, scilicet subesse accidentibus: vel quoad rem significatam, scilicet per se esse. Primo modo solum abusive potest Deus dici subesse perfectionibus suis. Secundo autem modo, cum proprietate dicitur & est substantia; quia proprie existit per se, immo per se maxime existit; & hoc solum dico intendisse Augustinum. Per quod ad secundam Minoris probationem patet solutio sumpta ex d. Thom. quaest. 9. de potentia art. 3. ad 1. & hic q. 29. art. 3. ad 2.

8 Obijciens secundo: Si in Deo vere & proprie reperitur ratio personae, etiam in illo esset proprie ratio hypostasis; nam, ut supra diximus, persona & hypostasis idem omnino significant: ex quo ulterius sequeretur, quod sicut in Deo dicuntur tres hypostases, immo & tres substantiae, cum persona sit rationalis naturae individua substantia: Sed neutrum videtur in Deo admittendum: Ergo in Deo ve-

re & proprie non reperitur ratio personae. Minor probatur ex Hieronymo in Epistola ad Damasum, ubi loquens de nomine hypostasis, ait: *Taceatur tres hypostasis. Quia tenetur: nomen hoc non bona suspitione est. Erc. mihi creditur, vanum sub nullo latet*. Item ibidem subdit: *Sufficiens nobis dicere unam substantiam*: Ergo ex Hieronymo dici non potest dari in Deo tres hypostases, vel tres substantias.

Respondeo concessa Majori, negando Minorem, quantum ad utramque partem. Licet enim olim fuerit de his vocibus, *persona & hypostasis*, magna inter Graecos & Latinos controversia, quam refert D. Gregorius Nazianzenus erat. Nam Latini nomen Graecum *hypostasis* idem esse ac usum, hoc est essentiam, putantes, Graecos, qui tres hypostases asserunt in Deo, haereticos Arianos appellabant: Graeci vero existimantes personas solum dici ad similitudinem earum quas in comediis tragediarum homines representant, & quas ipsi *trá personá* vocant; idemque suppositum seu hypostasim agere plures personas: Latinos, qui solum unam hypostasim, vel tres personas in Deo esse affirmant, haereticos Sabellianos vocabant: de qua controversia consulit D. Hieronymus Summum Pontificem Damasum, epistola ad ipsum missa. Nunc tamen utriusque nominis significatione plene nota, utroque indifferenter utitur Ecclesia, & sicut in Deo dicuntur esse tres personas, ita & tres hypostases. Similiter licet absolute & sine addito non sit dicendum dari in Deo tres substantias, quia hoc nomen substantia, absolute prolatur, pro essentia usurpatur; bene tamen cum hoc addito, *tres substantias individuas*, ut docet S. Thom. quaest. 9. de potentia art. 2. ad 9. Unde ad verba Hieronymi, quae videntur militare in contrarium, dicendum est cum d. Thom. hic art. 3. ad 3. quod Hieronymus dicit sub hoc nomine (*hypostasis* aut *substantia*) venenum latere: quia antequam significatio huius nominis esset plene nota apud Latinos, haeretici per illud simplices decipiebant, ut confiterentur plures essentias, sicut confitentur plures hypostases: propter hoc quod nomen substantia (cui respondet in Graeco nomen *hypostasis*) communiter accipitur apud nos pro essentia.

Obijciens tertio contra rationem, qua d. Thom. probat in Deo vere & proprie reperiri rationem personae: Persona non significat id quod est perfectissimum in tota natura: Ergo ratio d. Thom. falso nititur principio, & consequenter est nulla. Antecedens probatur primo: Quia natura est perfectior personalitate: Ergo persona non significat id quod perfectissimum est. Secundo: Quia persona significat personalitatem: Sed hec perfectionem non dicit: Ergo non significat perfectissimum in tota natura. Minor probatur: Si personalitas ut sic diceret perfectionem, non posset contrahi personalitate relativa: Sed contrahitur per illam: Ergo perfectionem non dicit. Sequela probatur: Perfectio contrahi non potest formaliter per differentiam, quae formaliter perfectio non fit: Sed personalitas relativa, pro eo quod addit ad divinam naturam, ratione cuius minus personalitatis foritur, perfectionem non dicit, in veriori Thomistarum sententia, quam disputatione praecedenti defendimus: Ergo si personalitas ut sic dicit perfectionem formaliter, non poterit contrahi per relativam personalitatem divinam.

Respondeo cum Cajetano hic art. 4. negando Antecedens. Ad primam probationem, praetermissa Antecedente, nego Consequentiam. Nam licet comparatione facta natura, cum modo personalitatis, illa personalitatem excedat, de quo disputant Metaphysici: tamen includens utrumque, qualiter includit persona, quodlibet separatim excedit. Sicut enim compositum ex materia & forma superat formam, quamvis haec sit materia perfectior; & sicut compositum ex essentia excedit in perfectione essentiam, est essentia perfectior sit existentia: ita natura sub modo per se existens perfectior est natura secundum se.

Ad secundam probationem dico in persona triplicem perfectionem reperiri, scilicet independentiam a subiecto inhominis, independentiam a subiecto sustentationis, & incommunicabilitatem alteri tanquam supposito. Prima & secunda perfectionem dicunt: tertia a perfectione vel imperfectione praescindit. Prima convenit cuiuslibet substantiae ex conceptu substantiae: secunda convenit tantum divinae naturae, ratione substantiae absolute: tertia, convenit Deo, non ratione substantiae absolute, sed substantiae relativa: quae licet perfectionem non explicet, duplicem tamen implicat, scilicet naturam, quam in suo conceptu claudit, & substantiam absolute, quam includit & supponit, ut disputatione sequenti patebit. Nec d. Thom. dicit personam ut sic significare formaliter perfectionem, sed significare id quod perfectissimum est ita in tota natura: quod verum est, licet perfectionem de formali non explicet. Unde in forma ad argumentum, concessa Majori, distinguo Minorem: personalitas non dicit perfectionem, explicite & formaliter, concedo Minorem: implicite saltem & praesuppositivae, nego Minorem & Consequentiam: nam licet persona, ex parte formalis & directi significati, non semper explicet perfectionem, illam tamen semper implicat & praesupponit.

ARTICULUS II

*Quaedam sit significatum formale ac directum huius nominis, Persona Divina?*

§. I.

*Quibusdam praemissa, reformatur sententia.*

13 Notandum primo ex d. Thom. quaest. 9. de potentia art. 4. duplex in nominibus esse significatum: unum formale, quod significat id per quod res formaliter constituitur; & aliud materiale, in quo ratio formaliter expressa reperitur: v.g. hoc nomen, *homo*, significat formaliter compositum ex anima & corpore, materialiter vero significat habens cor, cerebrum, & alia, sine quibus non reperitur corpus animatum. Interdum etiam per significatum formale intelligitur id quod explicite in ipsa nominis significatione importatur; per materiale vero, id quod implicite tantum in ea continetur.

14 Notandum secundo: Significatum aliquis nominis, ad huc esse duplex: directum scilicet & indirectum. Directum est quod in casu recto solet explicari: indirectum vero est quod connotatur & importatur in aliquo. Huius exemplum habemus in definitione persona in communi, supra a Boetio tradita: nam cum dicitur *individuum substantia*, exprimitur significatum directum illius: cum vero additur, *rationalis natura*, explicatur significatum indirectum.

15 Notandum tertio: Relationem originis in Deo esse adeo eminentem & perfectam, ut ratione suae perfectionis & eminentiae, aequaleat non solum omnibus relationibus, sed etiam substantiis & personalitatibus creatis: ex quo fit, quod ita exerceat munera relationis & personalitatis, ac si in ea ratio personalitatis ac relationis realiter distincta, genueretur. Huius ratio est, quia relatio divina non est accidens & inherens subiecto, sicut relatio creata; sed est identificata cum substantia divina; atque ita ex vi propriae lineae, est quid substantiale, & subsistens. Unde Theologi in divinis relationibus duos conceptus, seu duo munia inadaequata distinguunt, scilicet forma referentis, seu puri respectus ad terminum, & forma hypostaticae subsistentis: ut latius exponemus disput. 11. art. 2. quando agemus de Divinarum Personarum constitutione. His praemissis,

16 Circa praepositam differentiam, tam varie sunt & multae Auctorum opiniones, ut rarum diversitas vix possit in ordinem aliquem redigi: claritatem tamen gratia, omnes sententias ad quinque praecipuas reducemus. Prima est Durandi in 1. dist. 23. q. 1. ubi docet hoc nomen, *Persona Divina*, de formali significare secundam intentionem. Secunda est Scoti ibidem, quaest. unica, asserentis significare formaliter negationem communicabilitatis. Tertia docet hoc nomen significare directe essentiam vel naturam divinam. Ita quidam sine nomine relati a Magistro in 1. dist. 25. & a d. Thom. dist. 23. q. 1. a. 3. q. 9. de potent. art. 4. & hic q. 29. artic. etiam 4. Cui sententiae etiam ex parte adhaerit Magister, docens personam divinam absolute sumptam significare essentiam; cum autem additur terminus numeralis aut partitivus, ut cum dicimus, *tres personas*, vel cum dicimus: *alia est persona Patris, alia Filii, &c.* significare hypostasim subsistentem. Quarta sententia est Aureoli apud Caproolum in 1. dist. 25. q. 1. art. 2. asserentis nomen personae divinae, nec essentiam, nec relationem in recto significare, sed constitutum ex illis. Quinta & ultima sententia, quam defendunt Thomistae, & plures extranei, affirmat formale & directum huius nominis significatum esse relationem divinam, non in abstracto, sed in concreto.

Verum, quia ut in tertio notabili diximus, in relationibus divinis duo conceptus inadaequati solent distingui, forma scilicet referentis, seu puri respectus ad terminum, & forma hypostaticae subsistentis: adhuc restat difficultas, sub qua ex his duabus formalitatibus divina relatio pertinet ad significatum formale & directum huius nominis, *Persona Divina*.

§. II.

*Rejiciuntur quatuor prima sententiae, & ultima, ut vera eligatur.*

17 Dico primo, formale significatum huius nominis *Persona Divina*, neque esse secundam intentionem, neque solum negationem communicabilitatis.

Probatur breviter contra Durandum & Scotum. Persona Divina de formali significat id per quod persona divina formaliter constituitur personae divinae, neque per secundam intentionem, neque per solum negationem communicabilitatis, sed per aliquid reale & positivum, formaliter constituitur; ut ostendimus infra dist. 11. art. 1. quando agemus de constitutione divinarum personarum: Ergo persona divina, neque secundam intentionem, neque solum negationem communicabilitatis, sed aliquid reale & positivum de formali significat.

Dico secundo, Personam divinam non significare directe essentiam vel naturam divinam, sed indirecte tantum & in obliquo.

Probatur primo: Persona ut sic, est rationalis naturae individua substantia: Ergo persona divina est individua natura divina substantia: Sed in hac divina natura divina, non in recto, sed in obliquo importatur, ut patet: Ergo non in recto, sed in obliquo significatur hoc nomen, *Persona Divina*.

Probatur secundo: Non fiat multiplicari personam, non multiplicato significato illius formali & directo: Sed persona divina multiplicatur, non multiplicata natura: Ergo haec non est significatum directum huius nominis, *Persona Divina*. Minor est de fide: Major autem conitatur ex regula communi Dialecticorum, asserentium terminum numeralem cadentem supra substantivum, numerare illius significatum formale & directum; Sed *Persona Divina* est terminus substantivus: Ergo ut dicatur pluraliter, oportet multiplicari illius significatum formale & directum.

Nec valet si dicas cum Magistro, illo tantum convinci, hoc nomen, *Persona Divina*, cum dicitur in plurali, non significare naturam: non autem quod non significet illam, cum absolute proferatur.

Nam in contrarium obicit primo, quod nomen non variat significatum ex adjuncto termino numerali & partitivo, ut per se patet, docetque d. Thom. solutionem istam praeccludens in 1. dist. 23. quaest. 1. art. 3. Ergo si persona divina significat essentiam directe, cum absolute proferatur, idem retinet significatum; addito termino numerali aut partitivo.

Obicit secundo, quod nomina quae in Deo substantiam absolute significant, non dividuntur per additionem terminorum numeralium, ut docuit d. Thom. ibidem: constatque in hoc nomine, *Deus*, quod quia significat absolute substantiam, non possunt dici plures Dei; nec Pater potest catholice dici alius Deus a Filio vel contra: Ergo si persona divina significat in recto naturam, Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, non dicuntur tres persone; nec Pater dicitur alia persona a Filio, nec e contra.

Dico tertio: Relatio in concreto est significatum directum & formale huius nominis, *Persona Divina*: in abstracto autem sumpta, solum in obliquo importatur: Ita d. Thom. in 1. dist. 23. quaest. 1. art. 9. de potentia art. 4. & hic artic. etiam 4.

Prima pars conclusionis probatur. Significatum in recto seu directum personae ut sic, est subsistens incommunicabile in natura intellectuali, ut patet ex definitione personae supra expolita: Ergo significatum in recto seu directum huius nominis, *Persona Divina*, est subsistens distinctum & incommunicabile in natura divina; Sed sola relatio in concreto est subsistens distinctum & incommunicabile in natura divina; absoluta enim in Deo, quamvis subsistentia sint, non tamen sunt incommunicabilia; nec in personis distincta: Ergo relatio in concreto significatur directe & in recto, hoc nomine *Persona Divina*.

Quod amplius explicari potest. Subsistentia personalis divina in concreto est significatum directum & formale huius nominis *Persona Divina*: Sed subsistentia personalis divina in concreto idem est quod relatio in concreto; cum personalitas in Deo non sit modus absolutus, sed relativus: Ergo significatum formale & directum praedicti nominis, est relatio divina in concreto.

Quod autem illa in abstracto sumpta, solum indirecte & in obliquo in huius nominis significatione importetur (quod est secunda pars conclusionis) manifestum est. Nam constitutens importatur solum in obliquo & indirecte per nomen significans constitutum: Sed relatio in abstracto, ut significatur his nominibus, *relatio, paternitas, & filius*, significatur ut constitutens & ut forma: Ergo solum in obliquo & indirecte importatur per nomen significans constitutum, quale est *Persona Divina*.

Ex his impugnata manet sententia Aureoli. Si enim sola relatio divina in concreto sit formale & directum huius nominis significatum, & natura divina in obliquo solum & de connotato in eo importetur, non potest totum constitutum ex illis, hoc nomine formaliter ac directe significari.

Dico ultimo, Personam divinam non significare de forma mali relationem, ut formaliter est respectus ad terminum, sed quatenus est substantialiter subsistens, & gerit vices formae hypostaticae. Ita d. Thom. hic art. 4. ubi ait: *Persona Divina significat relationem in recto, & essentiam in obliquo; non tamen relationem in quantum est relatio, sed in quantum significatur per modum hypostasis*.

Ratio etiam id suadet: Nam ut docet idem S. Doctor quaest. 9. de potentia art. 4. ad 13. Persona divina secundum nomen non referitur ad aliud, ac proinde non est nomen formaliter relativum, sed absolutum: Ergo illius significatum formale non est relativum formaliter: nec personae sequens divina relatio, ut exerceat munus referentis, & quatenus est formaliter respectus ad terminum. Consequentia est evidens: nomen enim per significationem formaliter



iter constituitur, & consequenter nomen non relativum, sed absolutum, peit pro forma significationem non relativam, sed absolutam formaliter.

Confirmatur & magis illustratur hac ratio. Si formale significatum hujus nominis, esset relativum formaliter, seu divina relatio, quatenus exercet munus referendi, & ut formaliter est respectus ad terminum; hoc nomen Persona Divina, relative diceretur; & consequenter sicut Pater dicitur & est Filius Pater, & e contra, ita etiam diceretur Pater Persona Filii, & Filius persona Patris: Sed Pater persona Filii non dicitur; & oppositum asserere, absurdum reputat Augustinus lib. 1. de Trinit. c. 6. ubi ait: Non placet ut dicamus Patrem personam Filii: Ergo significatum formale hujus nominis, Persona Divina, non est relativum formaliter, sed ipsa divina relatio, ut exercet munus referendi, & quatenus formaliter est respectus ad terminum, sed quatenus est subsistens, & gerens vices formae hypostaticae. Unde D. Thom. hic artic. 4. ad 1. explicans dictum illud Augustini: in Trinitate cum dicimus personam Patris, nihil aliud dicimus quam substantiam Patris, et sic quippe dicitur persona, non ad Filium: dicit quod hoc nomen, persona, dicitur ad se, non ad alterum; quia significat relationem, non per modum relationis, sed per modum substantiae, quae est hypostasis.

Ex quo intelliges, aliter significari divinas relationes nomine personae divinae, & aliter his tribus distinctis nominibus: Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Nam persona divina significat formaliter & explicitè relationes divinas, sub conceptu substantium incommunicabiliter: sicut persona in communi significat subsistens incommunicabiliter in qualiter natura intellectuali; implicite vero & de materiali significat illas sub conceptu relationum, & prout exercet munus referendi ad terminum seu correlativum. E contra vero tria praedicta nomina significant formaliter & explicitè relationes sub conceptu relationum, & quatenus sunt respectus ad terminum; implicite vero, & de materiali, sub conceptu substantium eas important.

§. III.

Solvuntur objectiones.

Contra primam conclusionem sic arguit Durandus. Persona secundum Boetium, est rationalis natura individua substantia: Sed individuum de formali secundam intentionem significat: Ergo & persona divina.

Respondet individuum posse funi dupliciter, Logice scilicet & Metaphysice. Primo modo secundam intentionem formaliter significat; altero vero, non secundam intentionem, sed modum incommunicabiliter subsistendi de formali importat; & sub hac ratione definitionem personae ingreditur.

Arguit secundo Scotus in eadem conclusionem. Persona est rationalis natura incommunicabilis substantia: Sed ly incommunicabilis, solum negationem communicabilitatis significat; Ergo persona in communi, & consequenter persona divina, dicitur pro formali solum negationem communicabilitatis.

Respondet negando Minorem. Sicut enim quando dicitur, quod Angelus est immaterialis, & equus irrationalis, ly immaterialis & irrationalis, non solum negationem, sed aliquid positivum de formali significant; eisi negationem circumlocutive, vel a posteriori explicent: ita etiam, quando dicitur, quod persona est natura rationalis incommunicabilis, substantia ly incommunicabilis, solum negationem non significat, sed aliquid positivum, fundans negationem communicabilitatis.

Dices: In persona divina nihil potest assignari positivum, in quo negatio communicabilitatis fundetur: Ergo illa solum negationem de formali significant: Consequentia patet. Antecedens probatur. Si in persona divina aliquid positivum daretur, in quo fundaretur illa negatio, maxime relatio: Sed haec non potest fundare negationem communicabilitatis: Ergo in persona divina nihil potest assignari positivum in quo negatio communicabilitatis fundetur. Minor probatur: Paternitas v.g. vel fundat negationem communicabilitatis ex ratione relationis, ut sic, vel ex conceptu talis relationis? Non primum, alias etiam relatio Spiritus incommunicabilis esset. Nec secundum, nam paternitas ex conceptu paternitatis solum importat ordinem originis ejus a quo alius, in quo nulla ratio incommunicabilitatis importatur. Ergo divina relatio non potest esse fundamentum negationis communicabilitatis.

Ita arguit quidam Recentiores Scotista, quorum argumentum respondetur, negando Antecedens, ad cuius probationem, nego Minorem. Ad probationem illius, nego etiam Minorem pro secunda parte: nam eo ipso quod paternitas in Deo sit relatio originis per actionem intellectus, habet taliter convenire uni persone, quod nulli alteri competere possit, ac proinde fundat negationem communicabilitatis: relatio autem Spiritus, quia fundatur in origine Spiritus Sancti qui est terminus mutui amoris,

peit esse duabus personis communis; & consequenter negationem communicabilitatis fundare non potest.

Obijcies tertio contra secundam conclusionem. Quidquid ingreditur definitionem, & conceptum formalem ac quidditativum alicujus rei, pertinet ad significatum formale nominis quo significatur: verigratia, quia animalitas & rationalitas ingrediuntur definitionem hominis, & sunt de conceptu formali & quidditativo illius, dicuntur esse formale significatum hujus nominis, homo: Sed essentia vel natura divina definitionem personae ingreditur, & est de conceptu formali & quidditativo divinarum relationum, ut disputatio praecedentis ostendimus: Ergo divina essentia vel natura, hoc nomine, persona divina, de formali significatur.

Respondet distinguendo Majorem: quidquid ingreditur definitionem, directe & in recto, concedo Majorem: in obliquo solum & de connotato, nego Majorem; & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam. Solutio patet ex supra dictis, & ex definitione, in qua natura intellectualis, non in recto, sed in obliquo tantum importatur, demitur enim, rationalis natura individua seu incommunicabilis substantia.

Instantis: De persona divina predicatur natura divina in concreto, predicatione formali; cum haec propositio formalis & vera sit: Persona Divina est Deus; Sed natura divina non ingrederetur in recto constitutionem personae divinae, & non esset de formali significato illius, non posset sic predicari: Ergo natura divina in recto ingreditur constitutionem personae divinae, dec. Major est certa, Minor probatur. De eo quod solum in obliquo importat naturam aliquam, non potest in sensu formali talis natura praedicari, nomine illam importante in recto: Sed Deus in recto importat naturam divinam: Ergo non potest predicari formali predicatione de persona, si ad ejus constitutionem, & formalem significationem, solum in obliquo ingrederetur natura divina.

Respondet concessa Majori, negando Minorem. Ad illius probationem, distinguo Majorem: nomine importante naturam in recto, in significando & supponendo, concedo Majorem: nomine importante naturam in recto, solum in significando, non autem in supponendo, nego Majorem; & sub eadem distinctione Minoris, nego Consequentiam. Nam hoc nomen Deus, licet Divinitatem in recto significet, supponit tamen pro habente Divinitatem: in qua suppositione importatur non in recto, sed in obliquo Divinitas; cumque persona divina sit habens naturam divinam formaliter; sit quod de illa praedicatur natura divina in concreto, predicatione formali. Licet enim nomen Deus, & nomen Persona Divina, differant in significato directo, conveniunt tamen in suppositione directa: quia Deus directe supponit pro eo pro quo supponit directe Persona Divina.

Obijcies quarto cum Aureolo: Nullum constituens significatur in recto, nomine constituti: Sed relatio ut subsistens constituit personam divinam: Ergo non significatur in recto aut directe nomine Persona Divina.

Respondet concessa Majori, negando Minorem. Cum enim dicitur, relatio ut subsistens, idem est ac si diceretur, relatio in concreto: prout sit autem non significatur ut constituens, sed ut constitutum; in abstracto vero significatur ut constituens, quia significari ut constituens, est significari ut formam, & ut quo aliquid est tale, qualiter significatur relatio nominibus non concretis, sed abstractis, qualia sunt paternitas, personalitas, substantia, & his similia: nominibus autem concretis significatur non ut constituens, sed ut constitutum: v.g. Pater non significat paternitatem ut formam, & ut quo Pater est Pater, nec ut referens, sed ut quod est, & quod refertur, quodque relatione constituitur. Et hoc nomine, Persona Divina, non significatur personalitas ut forma constituens personam, sed ut persona personaliter constituta.

Obijcies ultimo: D. Thomas quest. 9. de potentia art. 4. in corp. docet, quod sicut nomen homo, significat formaliter compositum ex anima & corpore, materialiter vero significat habens cor, cerebrum, & alia, sine quibus non reperitur corpus animatum: ita hoc nomen, Persona Divina, significat de formali distinctum subsistens in natura divina; de materiali autem significat relationem, vel relativum.

Respondet D. Thom. ibi loqui de relatione, quatenus formaliter exercet munus relationis, & ut est respectus ad terminum; sub qua ratione de materiali tantum a persona divina significatur, ut in ultima conclusione ostendimus: non vero loqui de relatione, ut est subsistens, & quatenus gerit vices formae hypostaticae. Nam (ut ibidem ait S. Doctor) Persona Divina significat de formali distinctum subsistens in natura divina: Distinctum autem subsistens in natura divina, non potest esse nisi relatio in concreto, seu relativum; illud enim solum praestat incommunicabilitatem, & distinctionem in Divinis.

Potesse etiam dici cum Nazario, D. Thomam loco allegato solum intendere, quod persona divina de materiali significat

fecit relationem, ex parte modi significandi & concipiendi, sive prout materialiter, idem est, ac non explicitè: non tamen negare, qui significat relationem formaliter ex parte rei concepte, & implicite.

DISPUTATIO V.

De pluralitate Personarum.

Ad quaestionem 30. Divi Thomae.

DE pluralitate personarum in Deo fufe egimus disputatione praecedenti, confutando errorem Praxeae & Sabelli, qui unicam in Deo personam agnoscebant. Unde circa hanc quaestionem duo tantum hic nobis occurrunt examinanda. Primum est, an in Deo, ut praesentato relationibus & personis, detur aliqua substantia absoluta & communis? Secundum, an praeter illam tres adhuc relatae & propriae in personis divinis admittenda sint?

ARTICULUS I.

An in Deo, secundum se considerato, & ut praesentato relationibus: & personis, detur aliqua substantia absoluta.

IN hujus difficultatis resolutione duo sunt celebres sententiae: omnino oppositae. Prima negat dari in Divinis aliquam substantiam absolutam, communem tribus personis, & propriam divinae naturae; & consequenter asserit divinam naturam subsistere in divinis personis, per proprias tantum earum substantias relativas. Ita Vasquez in praesenti disputatione, cap. 3. Arubal, Meratus, alique Recentiores, & ex nostris Aravius a tomo metaph. lib. 7. q. 2. art. 3. & novissimus P. Nicolai 3. p. q. 3. art. 3. ad 1. ubi cum D. Thom. dicit: Ex per hunc modum potest intelligi quod (natura divina) assumat naturam humanam, ratione sua substantia, vel personalitate: advertit in nota quod D. Thom. non concludit posse naturam divinam assumere, sed intelligi posse alimentum, quia intelligitur ut persona, tamen non sit. Et postea subdit: Quibus oculis ergo substantiam absolutam, qua rationem personae non habeat, illius constitutores viderunt? ubi tam aperte subsistens pro persona, ut & substantia pro personalitate, vel pro substantia personalitas, quinque inculcatur &c.

Secunda sententia illi opposita hujusmodi substantiam admittit in Deo secundum se considerato, & ut praesentatur personis. Ita Cajetanus supra q. 3. artic. 3. q. 29. art. 4. infra q. 39. art. 4. tertia part. q. 2. art. 2. circa solut. ad 3. & q. 3. art. 2. illam etiam defendunt alii Thomistae, & ex extraneis Molina, Suarez, & Granada, qui plures alios refert; & egregie ostendit contra Vasquez, Cajetanum non esse primum Auctorem hujus substantiae. Hanc tamen litem & controversiam existimo magis esse de nomine, quam de re, & procedere ex diversa hujus nominis, substantia, acceptione & intelligentia. Unde ut omnis tollatur aequivoctio, & facilius hac quaestio resolvatur,

Observandum est ex D. Thom. quest. praecedentis art. 2. Ex eo quod res aliqua per se existit, & non in alio, vocari substantiam: ipsa enim subsistere dicimus, qua non in alio, sed in se existit. Unde sicut aliquid dicitur esse in alio duobus modis: primo quia ab illo dependet ut recipiat esse: secundo quia illi communicatur, quomvis ab illo non dependeat, ut constat in anima rationali, qua dicitur esse in materia, eisi non dependeat ab illa. Ita etiam dupliciter aliquid potest dici per se existere, ac proinde subsistere: primo quia existit independentem ab alio: secundo quia alteri non potest communicari. Ex quo fit, substantiam accipi posse, & pro per se existente excludente dependentiam, & pro per se existente excludente communicationem. Hac observatione praemissa, facile poterit resolvi difficultas proposita. Unde fit

§. I.

Duplici conclusione discutens proposita resolvitur.

Dico ergo primo: Si substantia accipitur pro per se existente excludente communicationem alteri ut supposito, non est potentia in Deo secundum se considerato, & ut praesentatur relationibus & personis.

Conclusio est omnino certa: Natura enim divina, ut praesentatur relationibus, tribus personis est incommunicabilis, & de facto illi communicatur: Ergo ut sic non potest gaudere aliqua substantia, qua tribus incommunicabilitatem alteri ut supposito.

Confirmatur: Substantia in hac secunda acceptione, nihil aliud est quam personalitas: Sed in Deo, pro priori ad relationes, non datur personalitas: Ergo nec substi-

Theol. Guetz, Tom. II.

stantia in secunda acceptione: Minor probatur. Cum enim personalitas sit constitutum personae, si in Deo, pro priori ad relationes, daretur personalitas, Deus in illo priori esset persona, & sic daretur quatuor personae in Deo: quod est contra fidem, & expressam definitionem Concilii Lateranensis, negantis in Deo personarum quaternitatem.

Dico secundo: Si substantia usurpetur pro per se existente, excludente dependentiam ab alio in existendo, convenit natura divina secundum se considerata, & ut praesentatur relationibus & personis.

Probatum conclusio primo ex Agathone Papa, in Epistola quae habetur in sexta Synodo actione 4. parum a principio, ubi dicitur: Constat enim trium substantiarum seu personarum unam substantiam.

Secundo ex Augustino 7. de Trinit. c. 3. dicente: Omnis res (scilicet substantialis) ad seipsum subsistit, quanto magis Deus? Idem docent Hieronymus epist. 57. ad Damasum, Cyrillus Alexandrinus, & alii SS. Patres, quos referunt Carmelita Salmanticensis hic disp. 9. dubio 5. §. 2.

Tertio ex S. Thoma, qui eandem veritatem variis in locis aperissime docet. Nam in 1. di. 21. quest. 2. art. 1. sic ait: Natura Divina est in se habens esse subsistens, nulla intellecta personarum distinctione. Et in 3. di. 6. qu. 2. art. 2. ad 2. asserit quod in Deo ipsa essentia subsistens est: unde secundum se debet esse, immo ipsa est suum esse subsistens. Et 4. cont. Gentes cap. 4. dicit, quod in Deo sunt plures res subsistentes, si relationes consideremus; & una res subsistens si consideretur essentia. Denique q. 9. de potentia art. 3. ad 13. in Divinis (inquit) proprietates personales hoc solum habent, quod supposita naturae divinae ab invicem distinguantur, non autem sunt principium subsistendi divinae essentiae, ipsa enim divina essentia est secundum se subsistens.

Ex quibus locis responders possumus ad animadversiones P. Nicolai, nos iidem oculis substantiam absolutam quae non habeat rationem personae, legere, quibus legimus in locis a nobis citatis, quod divina essentia est secundum se subsistens, quod proprietates personales non sunt principium subsistendi divinae essentiae, &c. Et quomvis forsitan D. Thom. 3. p. ita explicandus sit, quod etiam nulla intelligeretur in Deo personarum distinctio, sed intelligeretur solum natura divina subsistens, ac subinde habens rationem personae, qualem intelligunt Judei, & Philosophi postuerant, qui unicam in Deo personam admittebant; at tamen ex locis supra positae facile convincitur, D. Thomam voluisse quod etiam concipiatur natura divina ut praesentat personas, qua ratione non habet rationem personae, adhuc tamen potest naturam humanam assumere.

Nec obstat D. Thom. dixisse, posse intelligi naturam assumere, &c. Etenim apud D. Thom. & res ipsa, idem est posse intelligi, & non repugnare, quia quae repugnant, non possunt intelligi, siquidem quod possunt intelligi, non repugnant, quia non est impossibile apud Deum omni verbum: Cum ergo D. Thomas dixerit, posse intelligi naturam divinam posse assumere, etiam ipsa natura divina potest assumere naturam humanam.

Alio modo conatur Vasquez eludere testimonia supra adducta D. Thomae & SS. Patrum: respondet enim, D. Thomam, & alios SS. Patres allegatos, usurpare substantiam pro existentia.

Sed hac solutio multipliciter potest confutari. Primo quia si valet haec responsio, eodem modo, & pari facilitate, eludi poterunt omnia testimonia, quibus ipse Vasquez & alii Auctores probant contra Durandum, & alios infra referendos, dari in personis divinis tres substantias relativas; nam eodem modo glossari poterant, & dicit, SS. Patres in illis locis substantiam usurpare pro existentia: Ergo Vasquez hac responsione arua subministrat Adversariis ad infringendam vim omnium argumentorum, quae adducit contra Durandum, & alios negantes in Divinis tres substantias relativas.

Secundo. Si locis allegatis substantia sumeretur pro existentia, quando D. Thomas ait, quod divina essentia, est suum esse subsistens, sensus esset, quod Deus est suum esse existens, vel existentia existens, quod esset inutilis repetitio, & batologia intolerabilis.

Tertio. Ex eo quod in Deo ipsa essentia divina subsistens est, inferit D. Thom. quod est secundum se debet esse, immo quod ipsa est suum esse: Sed hic discursus non valet, immo esset omnino nagatorius, si per ly, subsistens, intelligeret existens; nam idem esset ac si diceretur, ex eo quod in Deo ipsa essentia esset existens, ei deberi existentiam: Ergo, &c.

Denique D. Augustinus immediate ante verba relata, sic habet: Sicut ab eo quod est esse appellatur essentia, ita ab eo quod est subsistere, substantiam dicimus: Ergo quando subdit: Omnis res ad seipsum subsistit, quanto magis Deus: non loquitur de existentia, sed de substantia, seu modo per se existendi, excludente dependentiam ab alio sustentante, quem dicimus pro priori ad relationes & personas convenire divinae essentiae.